Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 871

Quelle:
Copyright:

De quinto et 6. radio. X. De 7. et 8. radio. XI. De 9. et 10. radio. XII. De 11. et 12. radio. XIII. De hiis qui in prelationem eliguntur. XIV. De circuitu rote et de cantis. XV. Vtrum qui inuitus ascendit peccet. XVI. De hiis qui locum prelationis appetunt et de hiis qui inuiti obediunt. XVII. Qualis debeat esse prelatus teste beato gregorio. XVIII. Atque de his non solum, ut dixi, 6. priora *Capita* evulsa sunt, sed promissae etiam Picturae nonnisi laciniola restat. *Capitis* 7. initium est: *Primus radius qui procedit ex modiolo est bona intentio* &c. Finis totius Libri: *donec de his aliquis potiora dicat.* Et tunc demum adponitur illa clausula, cujus supra memineram, vitiata: *Explicit clausstrum anime a hugone de sancto victore* (quod rescriptum) *compositum;* unde certum videtur Tractatum hunc *de Rota Praelationis* etiam ad *Hugonem de Folieto*, seu *Laurentianum*, Sec. XII. Scriptorem pertinere.

IV. *fol.* 58. p. 2. *Epistola presbiteri Johannis ad A. constantinopolitanum imperatorem missa de regno potentia et magnitudine et diuitiis eiusdem Johannis presbiteri et regis.* Nugae Fraterculi cujusdam in variis Bibliothecis obviae, et jam ad *Emmanuelem* Regem *Lusit.* jam ad *Fridericum* Imp. jam ad Gubernatores *CPoleos*, aut *Romae* directae hoc ingressu: *Johannes presbiter potentia et uirtute dei et domini nostri ihesu christi dominus dominantium A. constantinopolitano gubernatori salute gaudere et gratia ditandi ad ulteriora transire. Annuntiabatur apud maiestatem nostram, quod diligebas excellentiam nostram* &c.

V. *fol.* 59. p. 2. *Intentio Magistri Ysaac in canone Misse.* Intentionem vocat, quia de animo in sacro illo Officio defigendo res est. Initium: *Domino et patri in christo semper uenerabili et digne amando Johanni dei gratia pictauorum episcopo. ysaac salutem et obsequium et obedientiam. Ecce quod diu multumque postulando impetrare non potuit uestra humilitas, imperando cito extorsit auctoritas* &c. Vides epistolarem esse Dissertationem, quam edidit *Bertr. Tissierius Bibliotb. Cisterc.* T. VI. p. 104. cui Autor *Anglus*, Abbas *Stellae* in *Gallia* et D. *Bernardo* συγχρονος est. Defuit tamen *Tissierio* Articulus ultimus, qui incipit: *Sequi nos oportet uictuale nostrum* &c. Itaque plenior comparet *Isaac* in *Dacherii Spicil.* T. I. edit. novae p. 449. Est nihilo minus, quod e Codice nostro adjungas, Expositio videlicet historica et mystica triplicis Altaris, cujus initium: *Primum altare est eneum. Secundum aureum. tertium est propitiatorium* &c. quamque ad eundem Episcopum dirigi non dubito; cum enim superius per decursum eum *Patrem serenissimum* compellaverit, hic finit: *Valeat serenitas tua pater karissime.* Quare hunc veluti Codicillum prolixiori illi Epistolae adjecerit *Isaac.*

VI. *fol.* 61. *Ivonis Carnotensis* Ep. quaedam hoc ordine: 1) Epistola ad *Leudonem contra illos, qui*